propterea quod dolorem percipit Dn. aeger in eo loco, ubi illud viscus situm est et quod frequentissime coryza correptus est ultima vice gravissima et plures septimanas perdurante, quam presso pede excepit primus apoplecticus insultus. Prior ille abdominalis dolor vix non semper a flatibus coli zonam distendentibus derivandus videtur, quoniam loco nunquam mutatur in vel extra digestionis tempus, et quoniam altiori et intimiori sede morari videtur, qui pro flatibus haberi queat.

Venae iteratis vicibus secando humorum minus elaboratorum et summe meabilium abundantia imminuta, deinde incidentibus et resolventibus amaris, saponaceis, atq. evacuantibus idoneis interpositis pituitae quantitas haud exigua alvo, screatu et diuresi reiecta est et adhuc excernitur. Potus imminutione appetitus increvit et corporis motus equitatione instituendus, ita et roborantia propinata tonum aliqualem solidis reconciliarunt et praeter capitis plus minusve intensum dolorem,